Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis XV.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

falsarum, tum unicè veræ &c. Disp. IX. XII. XIII. ac negari nequit, quod si alicubi una tantum obtineat Religio, ejusque solius ibi vigeat Exercitium, loci illius incolas feliciores omnino esse, longeque majori frui quiete, ac libertate gaudere posse, quam ubi novum simul alius Religionis introducatur Exercitium, diversitas enim sententiarum de Fidei Articulis animos divellit, excitat odia, ac pacatum Reipublicæ statum non mediocriter labefactat. Recess. Imp. *de Anno 1541. pr. de Anno 1544.* §. **damit aber** ꝛc. *78. de Anno 1548.* §. **Und nachdem Wir** ꝛc. *3. de Anno 1555.* §. *7. seqq.*

Thesis XV.

Neque his obstat, quod cuilibet Domino Territoriali ex communi per totum Imperium hactenus usitata Praxi vi Superioritatis territorialis in suis Ditionibus competat Jus Reformandi. Hoc enim Ipsi salvum est & manet, licet Exercitium ejus Transactione hac Publica, Pacis & tranquillitatis conservandæ, & persecutiones ac oppressiones subditorum vitandi causa, contra subditos suos Aug. Confessioni addictos, qui dictis Annis solitarium suæ Religionis Exercitium habuerunt, quoad effectum suspensum & limitatum sit, ut ipsis publicum vel privatum Religionis suæ Exercitium, quo Anno normativo seu Decretorio gavisi sunt, adimere nequeat; Perinde ut vero rerum suarum Domino salvum maneat dominium suum, licet ejus effectu, qui in libera de rebus suis disponendi & eas alienandi facultate consistit, destituatur. Notum enim est, multos rerum suarum Dominos salva dominii substantia destitui hac facultate, quibus vel Lege, vel à Judice, vel à

Privatis, aut in Teſtamento, aut Pacto vel Conventione, alienatio ſit interdicta.

Theſis XVI.

Sed ut plura, quæ de Materia hac adhuc afferri poterant, paucis complectamur, dicimus cum Authore Scripti: **Ungrund des ſo genannten** Simultanei; quod exhibetur **in der Europäiſchen Staats-Cantzley** *Part. XXXV. Cap. III. pag. 410. ſeqq.* ex Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ luce meridiana clarius eluceſcere, quod contra obſervantiam Anni reſpective 1618. vel 1624. prout quis nempe vel ex capite Amneſtiæ, vel ex capite Gravaminum reſtitutus, Simultaneum ſeu Coëxercitium nullo modo Evangelicis obtrudi, conſequenter Romano-Catholica Sacra nullibi introduci queant, ubi dictis annis non viguerunt, niſi fiat mutuo & libero utriusque Partis conſenſu; ac proinde etiam Princeps Romano-Catholicus Subditis ſuis Evangelicis 1. non poſſit imperare, ut vel Dies feſtos celebrent, quos neque Anno Decretorio feriari conſueverunt, neque ut celebrentur, ipſorum Religio admittit; neque 2. iis injungere valeat, ut coram Venerabili ſibi obviam facto in genua procidant, illudque comitentur, vel aliud quid pro illius veneratione faciant aut agant; nec 3. adigi queant, ut ſolennes Proceſſiones ſequantur, vel inſtitui permittant, ubi antiquitus non permiſſæ fuerunt; neque 4. cogi valeant, ut permittant Publicum Religionis Romano-Catholicæ Exercitium in Regione de novo introduci, ubi antea non fuit; vel 5. ad id nova Templa exſtrui; aut 6. Numerum Perſonarum religioſarum augeri; vel 7. Sanctorum Imagines hinc inde